



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Carissimo In Christo filio Henrico illustri Constantinopolitano Imperatori.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

Canonicus nobis humiliter supplicavit ut ei, qui ad sedem apostolicam veniendo, pro negotiis vestris & totius cleri Constantinopolitani expediendis plurimum laboravit, pro preventibus ejusdem Ecclesie perceptis à vobis, quos ipse, si præsens fuisset in vestra Ecclesia, percepisset, satisfieri faceremus eidem. Cum igitur idem A. inde dispendium pati non debeat unde primum dinoscitur meruisse, universitatem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus eidem Canonico de preventibus sibi subtractis, donec pro communibus negotiis absens fuit, taliter providere curetis quòd ipse propter hoc vobis & Ecclesie vestre magis obnoxius teneatur, & nos debeamus devotionem vestram exinde non immeritò commendare. Datum ut in alia.

**CARISSIMO IN CHRISTO**  
filio Henrico illustri Constantinopolitano Imperatori.

Epist. 52.  
Inducitur ut bona Ecclesie S. Anastasii ablata restituantur.

**A**D audientiam nostram dilecto filio nostro Alufo Canonico Ecclesie sancte Anastasii Constantinopolitane significante pervenit quòd eadem Ecclesia, quæ antequam Constantinopolitana civitas caperetur post majorem Ecclesiam locum præcipuum obtinebat, gravatur maxima paupertate, bonis ipsius distractis multipliciter & consumptis. Insuper inclite recordationis Baduini Imperator germanus tuus, cujus successor existis, casalia cum pertinentiis suis, possessiones, & res alias quæ ad Ecclesiam pertinebant prædictam contra justitiam occupavit & detinuit occupata, quæ in animæ tuæ periculum reddere contradicis. Quia verò quanto magis gressus tui à Domino prosperantur, tanto minus esse debes Ecclesie onerosus, serenitatem tuam rogamus & monemus attentius quatenus si est ita, bonam eandem Ecclesiam ipsi ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram restituens, ab ejus super hoc molestatione indebita conquiescas. Datum Laterani xv. Kal. Maij, anno undecimo.

**CANTORI DE BLAKERNA,**  
Præposito sancti Sepulchri, & magistro P. Canonico sancti Pauli Constantinopolitani.

Epist. 53.  
Eis committitur causa T. Capellani de Bucca Leonis.

**I**nfirmantibus T. Capellano Ecclesie de Bucca Leonis & quibusdam aliis Clericis Constantinopolitanis nos noveritis accepisse quòd H. de Atrebatò & quidam

alii Clerici Constantinopolitani preventus quarundam rerum quæ in sortem Clericorum ipsorum cessisse noscuntur percipiunt & dividunt pro suæ arbitrio voluntatis, illis qui super hoc deberent de jure requiri penitus inconsultis, & eisdem, licet sæpius requisiti, debitam nolunt reddere portionem. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerunt evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo vestrum &c. Datum Laterani xv. Kal. Maij, anno undecimo.

**ELECTO NICODEMIENSI,**  
& Præposito sancti Sepulchri & Priori Pisanorum Constantinopolitanis.

**I**nnotuit nobis, conquerentibus dilectis filiis A. & D. clericis apud Constantinopolim constitutis, quòd Decanus sancte Sophiæ ac quidam alij Constantinopolitani quandam mulam & res alias pertinentes ad ipsos contra justitiam detinent & reddere contradicunt, super blado & rebus aliis injuriantes eisdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes, duo &c. Datum ut in alia.

Epist. 54.  
Committitur eis causa super quadam mulâ.

**SANCTE SOPHIÆ ET SANCTE**  
Anastasii Decanis, & Cantori de Blakerna.

**C**onquesti sunt nobis dilecti filij Er-nulfus Canonicus de Blakerna & alij clerici apud Constantinopolim constituti quòd venerabilis frater noster Salimbriensis eis super quibusdam terris, vineis, pratis & rebus aliis damna gravia & injurias inferre non cessat. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes &c. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. Datum ut in alia.

Epist. 55.  
Eis committitur causa Arnulphi Canonici de Blakerna.

**DILECTO FILIO MELDENSI**  
Electo.

**D**ilecta in Christo filia moniales Iotrensium monasterij humiliter nobis insinuatione monstrarunt quòd idem cœnobium propter dilationem benedictionis electæ ipsius tam in spiritualibus quam temporalibus non modica sustinuit detrimenta.

Epist. 56.  
Ve impendatur benedictionem A. Abbatissæ Iotrensi.  
Vide appellationem hujus littere.